Quaestio Quodlibetaria agit.da In Schol. Medicorum die Jovis 23 Januar.

M. Andrea Du Breil moderatore.

An Dysentericis Catharctica?

Natura vero quae moderatrix est corporis, ut longum aevum conservare nititur, sic a morbis vindicat. Si quid maioris quoque negotii contra salutis eius struit, aut vacuando judicat: quod si ob magnitudinem vincere non possit, huic ipsa capitulandum est, ut quod saltem dividendum sit, locis utilibus et sordentibus. Eadem vero vacuantibus loca sunt intestina, renes, uterus, vesica, cutis versa, ad quae totius corporis excrementa solent confluere. Sed via per intestina certior et securior, quae ipsa primum relegata non modo hypochondriaca sed etiam superfluas partium omnium humores sordescentes facile excipiunt, hisque expultrice (quam longam earumque validam obtinent) foras depellunt.

Hinc fluunt vel uno vel pluribus (dempto sanguine) humoribus copia, vel qualitate molestis, diarrhoeae excitantur, quae pueris familiares, aetate provectioribus dolent. Eadem si ophtalmiae aut surditati succedunt salutares: si tabi, hydropi aut pleuritidi perniciosae censentur, vel acutis nigrae, aut vesiculae. Quod si bilis vomitus ad eam accesserit, cholera sicca dicitur, affectio ventriculi acutissima, sine ἀνοχῇ quae intra 4um criticorum primum aegrum jugulat, nisi vomitus vomitu, fluxus fluxu sedetur. Utrique succedit lienteria cum vis retentrix languescit, aut expultrix irritatur, tum maxime dysenteria cum ab acri humore intestina exulcerantur, sanguisque profunditur.

Diarrhoea omnis vigiliis et fluore calamitosa est, sed longe magis dysenteria quae torminibus et desidendi frequentia febrem acris humoris alumnam, augendi sitim et deteriorem anorexiam inducit, viresque cito prosternit, plerumque pueris ac senibus, proinde nunquam critica esse potest, sine splendidis ac maniacis vanis aegri robur superat. Tanti symptomatis causa est deleterium pharmacum, aut vitiosum alimentum, saepe bilis flava, vel atra autumni temporis insaluberrimi soboles. Interdum salsa pituita mulieribus oxysthymis frequentior, quae sedi pertinaciter affixa tenesmum gravius periculosum inducit, quo nihil praeter mucosum quiddam et subcruentum egeritur.

Periculum autem ex sede laborantes, humoris natura et sordibus colligitur. Nam gravior illa est quae tenuiora obsidet intestina, quam quae crassiora, quod illa minime coalescant, deinde quae ab atra bile incipit (vel cancro omni) exitialis est, a pituita contumax, a bile flava securior nisi hyperbola extiterit. Tantoque denique gravius dysenteria exitium portenditur, quanto altius intestina abraduntur. Hinc quemadmodum effluentes primum humores, liquida et pinguia; eodem modo deiecti, ramenta carnosa, perfusa sordis affectas argumenta, sic penitus depascentes, carunculae cum copioso sanguine citra spem curationis excernuntur.

Nascenti itaque morbo in primis occurrendum est vacuando humores peccantes, ne vel suffocatione absoluta pariat, vel neglecta alvi sedem depascatur. Eodem autem vacuatur rheo partim infuso, partim in substantia, myrobalanis, nonnunquam agarico. Revellitur vena cubiti interna sectione, vomitu derivatur, diureticis. Sublata cacochymia fluxus cohibetur fructibus austeris, assis carnibus, ovis, lacte, vino styptico, aqua chalybeata, somno, quiete, parsimonia, narcoticis. Interea ulcus, quod siccari postulat, detergentibus et astringentibus enematis consolidatur. Intemperies viscerum frigidis, sumptis et admotis corrigitur, viresque cum cardiacis, tum cibis euchymis confirmantur, quae dolore et fluore assiduo plurimum solvuntur.

Ergo Dysentericis Catharctica.

Ponebat Petrus Quineffault pictaviensis 1578

Dni Doct. Disput.

M. Dominicus Bourgoing. M. Bartholomaeus Passart. M. Girardus Denizot.
M. Jacobus Nicolas. M. Joannes Faber. M. Joannes le Gay.
M. Julianus Bezé. M. Michael Marescot. M. Nicolaus le grand Med. reg.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE